

Caspar March

Programma Quo Universitatis Rostochiensis p.t. Rector Caspar March/ D. Med. & Math. Pr. P. Ad Exequias quas ... D. Johanni Friderico König/ SS. Theol. D. & Prof. Duc. Primario, Consistorii Ducalis Assessori ... Hodie ... Paratas cupit Vidua moestissima ... Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat ...

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771912064>

Druck Freier  Zugang



March, C.,

in J. F. König.

R. 1664. /a

PROGRAMMA

4

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
p. t. RECTOR

CASPAR March / D.

Med. & Math. Pr. P.

AD EXEQUIAS
quas



admodum Reverendo, Amplissimo & Excel-
lentissimo
**D. JOHANNI FRI-
DERICO RÖNIG!**

SS. Theol. D. & Prof. Duc. Primario,
Consistorii Ducalis Assessori gravissimo, nec non
Ecclesiarum Mecklenburgensium, & Ratzeburgen-
sium Superintendenti dexterimo
Hodie Horâ I in Templo Jacobo
Paratas cupit

Vidua mœstissima,

frequenti comitatu cohonestandas,

Omnis omnium ordinum Cives Academicos et,
qua pars est, humanitate invitati & seriò cohortatur.

- 8 (o) -

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1664

75



Edium nostrarum si quando fulcra ruunt, & submoven-
tur columina, mox colla-
psuras eas justissimâ ratione subveremur: consistere e-
nimir quid potest, sublatis per
quæ stare debebat poteratq; fulcimentis? Scholarum Ec-
clesiarumq; fulcra ac stabili-
menta sunt Viri Docti, Gra-
ves, Cordati, & in exsequendis officiis sui partibus
nunquam non seduli. Submotis his, funesta Schola-
rum Ecclesiarumque non immerito metuitur ruina.
De hâc nostrâ ergo, Cives Academicici optimi, Uni-
versitate Literariâ, quid non ominari, aut quam non
infeliciū casuum conjecturam facere licebit, quan-
do tot tamque robusta Academiæ fulcra vel intra o-
ctennium proximum sublata eréptaque nobis memi-
nimus. Amisisimus eheu! SCHUKMANNUM Senio-
rem, Jure Consultum gravem, Cordatum, fortissi-
mumque Jurium & Privilegiorum Academicorum
propugnatorem; DORSCHEUM, Theologum in-
comparabilem, Orthodoxæ Ecclesiæ fulcrum robu-
stissimum, quam saluberrimis compluribus scriptis
complevit, schismaticorum & hæreticorum hetero-
doxias, instar mallei cuiusdā, contundens ac perfrin-
gens;

gens; RHANIUM, longâ Juris Experienciam clarissimum & pacis studiosissimum Virum, mors pariter inopina subduxit; SCHUKMANNUM, Theologum, orthodoxiâ & pietate conspicuum, MAURITIUM, doctrinâ & gravitate eximium, ac pacis insuper amore commendatissimum, Universi Rectrix Divina Providentia aliorum hinc evocavit; Hodiè, hodiè, inquam, KONINGIUM, ô dolor! efferimus, magni DORSCHEI successorem dignissimum, in medio, eheu! ætatis flore, maturâ nimis morte extinctum, Virum ingenii acumine, doctrinæ puritate, & tuerdi Religionem orthodoxam dexteritate ac sollertia, instituendæque Juventutis promptitudine ac sedulitate celeberrimum, cuius amissione, quin cladem non exiguum hæc nostra Academia, & majorem fortè etiam Ecclesia, cui præfectus erat Superintendens vigilantissimus, passa sit, vix quisquam dubitabit; Ad Conscientiam provoco Pastorum, quos providâ curâ per octennium & ultrâ rexit, studiosorum & jam in Ecclesiâ ac Rebus publicis ex parte benemerentium virorum, quos tûm in hâc nostra, tûm in alijs, Gryphisvaldensi in primis & Lipsiensi Academiis famâ cum industriâ & alacritate informavit, & salutari Divini verbi incentivo ad Christum perduxit. Agnosctis sine dubio, ô me! quot quantaque intra tam brevem paucissimorum annorum periodum nobis erupta sint Academias hujus fulcimenta & columna, ac tantum non exhorrescit ad infaustum metuendæ lamentabilis ruinæ omen. Haud equidem nostrum est, invidere insignibus hisce Viris fortunam meliorem, statimque longè felicissimum, quin gratulari parest, quod partim perversissimi mundi fraudibus, infidiis

insidiis; ac persecutionibus, partim miseriā in qua
nos met adhuc dum vivimus, quam splendidam non-
nulli vocare solent, erepti, aeternū modō gaude-
ant, aut paulo magis contenti vivant: nostram ta-
men quod infelicem sortem lugeamus, & Academiæ
calamitosum statum serio deploremus, dum tanto-
rum virorum, qui scissuris imminentibus aut metu-
endis suâ se dexteritate & concessâ divinitus fortitu-
dine opponere potuissent, consiliis operisque mul-
tum solatii auxiliique allaturis, orbati, adversa in-
faustaque plurima pertimescimus, id verò nec indi-
gnum nobis, nec à pietate alienum quisquam
bonæ mentis judicare poterit.

In solo hoc nostro JOHANNE FRIDERICO
KONIG, S.S. Theol. D. & Professore Ducali Prima-
rio, Consistorii Ducalis Assessore meritissimo, & Eccle-
siarum sibi commendatarum Superintendentे ha-
etenus dexterrimo, cuius ultimo, eheu! honori hæc
in primis dicatur scriptio, quid, quantumque amise-
rimus perpendendum modō ulterius exhibebitur,
dum Ortum illius honestissimum, vitæque totius
curriculum laudatissimum, bonis omnibus imitan-
dum, & exitum felicissimum beatissimumque ali-
quanto fusus, uti decet, sumus explicaturi. Na-
tum illum accepimus in Metropoli Electorali Dresdā,
Anno 1619 die 16. Octobris, Patre Viro Prudentissimo
ac Spectatissimo Dno. MARTINO König Cive Dres-
densi & Mercatore Primario. Matre, Fœminā No-
bilissimā varioque virtutum genere fulgentissimā,
MARTHA Danzgeschirrin. Avum Paternum habuit
Virum Plurimum Reverendum, & tam Pietate quam
Doctrinā Eximium, Dominum JOHANNEM König /

A 3

Pastor-

Pastorem dictæ Urbis Electoralis mēritissimum; Avi-
am Paternam, Matronam piissimam lectissimamque
MAGDALENAM Balduinum; Avum Maternum nactus
est Nobilissimum, Amplissimum & Consultissimum
Virum, Dominum FRIDERICUM Dantzgeschirr / Se-
renissimi Electoris Saxonici Consiliarium eminentissi-
mum, Aviam Maternam, Nobilissimam Matronam
ANNAM Lysarin / quæ præcelebris familiæ suæ glo-
riam propriarum virtutum cumulo adauxit. Plures
longâ serie Majores, ut fieri quidem poterat, hic re-
censere studiô supersedemus, cùm peregrinis super-
bire laudibus invilum semper fuerit beatissimo no-
stro, adeoq; id circa funeralia sua fieri vel ipsem et
prohibuerit, quippe qui id unicè vereque gloriosum
duxit, quod adoptionis suæ in filium Dei, per Christum
factæ, veræ fidei adminiculô esset certissimus. Et sane
non ipsi soli id per fidem constare potuit quâm accu-
ratissimè, sed passim etiam cuivis bono ex documen-
tis variis in vitâ ipsi conspicuis dijudicare idem licuit
promptissimè. Etenim postquam naturali geniturâ
editus in hanc lucem fuit, id operam dedere Parentes
optimi, ut sacro regenerationis lavacro ablutus, per
medium hoc salutis ordinarium & primum, gratiose
adoptionis in numerum filiorum DEI primam nan-
ciseretur certitudinem, in quâ uti indies magis ma-
gisque confirmaretur, nil quidquam diligentiaz intermisserunt, ut salutari orthodoxi Catechismi do-
ctrinâ in puerili statim ætate imbutus, pietatis veriq;
Christianismi indies stabiliora jaceret fundamenta.
Nec pepercere sumptibus, sed per idoneos Præcepto-
res privatim quoque eum, Ephebis ubi excederat,
quâm diligentissimè instituendum curârunt. Etsin,

Patrem.

Patrem carissimum impuber adhuc & vix undecim
annorum puer amiserit, Matris tamen piissimæ non
minor cura sollicitudoque fuit, ut ne decesset quic-
quam, quod ad foerendos, ampliandosque ingenii, qui
se se maturimè probebant, igniculos facere posset;
nec ipsis metu noster JOHANNES FRIDERICUS tum,
sensim adolescentis ullâ in se desiderari passus est indu-
striam, quin sponte sua & innatâ animi propensione
sic studia coluit, ut anno 1636, ætatis decimo septimo,
a celeberrimô D. HÜLSEM ANNO examinatus, ob
acquisita jam tum in humanioribus egregia funda-
menta, idoneus habitus fuerit, qui ad sublimioris
literaturæ Emporia, Academias, cum fructu able-
gari posset. *Lipsiensem* ergo primùm adiit, Patriæ ur-
bi vicinam, in quâ exemplum diligentis & verè stu-
diosi, frequentandò tûm publicas, tûm privatas le-
ctiones, ac disputationes exhibuit, inque Philoso-
phicis studiis adeò brevi tempore profecit, ut Anno
1639, ætatis vigesimô, Philosophicæ Facultatis exami-
na, ibidem, si ullibi, rigorosa cum laude sustinere
potuerit, dignusq; fuerit deprehensus, cui supremus
Magisterii honor publicè conferretur; Hoc titulô insi-
gnitus, nō aliis solum, quæ ipse feliciter hauserat, dex-
terimè, habitis aliquot privatis Collegiis communi-
cavit, sed sibi meti ipsi etiā humanas quascunque disci-
plinas sufficienter complexo, diviniorem sapienti-
am sub informatione publicâ & privatâ Excellentissi-
morum Theologorum, D. HENRICI HOPFNERI, &
D. ANANIAE WEBERI studiosissimè conquisivit,
subsistens in hâc Almâ Lipsiensi per integrum octen-
niū, optimè ratus, ut arborem saepius transplanta-
tam, sic & studiosum ab unâ in aliam subinde Aca-
demiam

demiam transvolantem, vix reddi ferendis fructibus idoneum. Transactō verò hic feliciter dictō octōnniō, pietate pariter & eruditione jam tūm nō mediocriter clarus, Nobilissimi Domini de Miltz/Serenissimi Electoris Saxonici Consiliarii Magnifici Filiis præfectus, Anno 1644 unā cum iis Witebergam concessit, ibidēque non solum commissos speciali curā suā nobilissimos hosce Juvenes, sed & alios quamplurimos, absolvendō varia Collegia Philosophica, egregiō cum fructu, fidelissimè informavit: Quād ipso permota est Amplissima Facultas Philosophica, ut sibi eum Adjunctū constituerit, summō cū Auditorum applausu has officiī partes per sexennium egregiè exlequentem. Nec tamen interea à Theologicis feriatus est studiis, sed celeberrimorū ibidem Theologorū, D. PAULI ROBERI, D. JACOBI MARTINI, D. JOHANNIS HULSEMANNI, nec non D. WILHELMI LYSERI familiarissimā sibique plurimum proficuā conversatione nō, & filii instar ab istis habitus, postquam binas sub Excellentissimō D. LY SERO Disputationes publicè cū laude habuerat, facultatem aperiendi Collegia Theologica privata obtinuit, dignusque jam tūm habitus fuit, qui gradum in Theologiā summum capessere posset: Quos tamen ipse honores modestè tum temporis declinavit, esse adhuc mayolens quām dici Doctor: neque enim segnior interea fuit in docendā Juventute, sed Epistolam Pauli ad Romanos, Augustanam Confessionem, Formulam Concordiæ, Himmelii Syntagma, & Institutiones Catecheticas Dieterici legendō disputandoque Auditoribus suis explicuit; quō nomine etiam adeo inclaruit, ut officium Superintenden-

tis

is Bornæ in Misniâ, nec non Inspectio Gymnasi Oedenburgensis in
Hungariâ legitimè ei fuerint oblata; Sed docuit eventus, ipsum ad
alia divinitus destinatum fuisse munera: Contigit enim paulò post,
uti ab illustrissimo Comite MAGNO GABRIELE *dela Guarda*,
S. R. M. Regnique Sveciæ Senatore, nunc Cancellario eminentissi-
mo, ad officium Concionatoris Aulici vocareretur, quam Spartam
consilio Theologorum Wittebergensium alacriter acceptavit, adeo-
que Anno 1649 27 Novembris in ipsa Wittebergâ Divini Verbi Mi-
nister solemní ritu ordinatus est. Præfuit huic Ecclesiastice functioni
per biennum. Postverò ubi Serenissimæ Potentissimæque Reginæ
Sveciæ, CHRISTINÆ, Regnique Senatoribus ejus singularis ad
Professorium munus aptitudo, & ad vitam Academicam inclinatio
innotuerat, legitimè vocatione constitutus fuit Professor Theologizæ
in Academiâ Gryphusvaldei extraordianarius, Anno 1651. Quam
Spartam insignibus ingenii donis adeo exornavit, ut gratus acce-
perusque semper fuerit Collegiis omnibus, cum quibus amicitiam co-
luit si avilliam, & studiosæ Juventuti, quam legendô ac disputan-
dô docuit & exercuit diligentissimè, usui fuerit quam maximo. Ex-
titit hæc Viri hujus excellentissimi dexteritas causa, quod sequenti
statim post suscepturn Professorium munus anno, sic disponente Di-
vini Numinis providentiâ, in matrimonium ei elocata fuerit admo-
dum Reverendi & Excellentissimi DN. BALTHASARIS Nahwen/
S. S. Theal Lic. & Profess. quondam Gryphisvaldensis, post Stra-
lesundensis Ecclesiæ Superintendentis meritissimi filia lectissima, sui-
que sexus virtutibus ornatissima MARGARETA Nahwen / Nobilis-
simi ac Reverendi plurimum DN. BARTHOLDI Kraeviken / Ge-
neralis in Pomeraniâ olim Superintendentis summe venerandi Ne-
ptis, cum quæ conjugium haec tenus per annos nempe 12 coluit con-
cors, & suavissimum, nec infecundum; suscepit enim ex eâ filias
duas elegantissimas, CATHARINAM & MARGARETHAM ELI-
SABETHAM, funeri Paterno non sine moerore superstites, cœte-
rū in pierate & virtutibus aliis egregie succrescentes puellulas, qui-
bus benedictionem & gratiam Divinam animitus apprecamur, Anno
1653. 22 Septembr. Beatissimus noster in Academiâ Gryphisvalden-
si, simul cum moderno Generali Pomeraniæ Superintendentente, DN.

B

ABRA-

ABRAHAMO| BATTO, S.S. Theol. Doct. demum renunciatus est,
qualis reipsa jamdudum etiam sine titulo extiterat. In hac statione
Academica postquam cum summâ laude & amplissimô Studio forum
commodô quinquennium exegerat, sic dirigente Supremô Orbis
Rectore, qui variis cum muneribus, ut pluribus in locis concessum
sibi divinitus talentum cum fœnore exponeret, destinasse visus est,
anno 1656. à Serenissimô Principe ac Domino, DN. ADOLPHO
FRIDERICO, gloriose memoriae Duce Mecklenburgicô &c. Do-
mino nostro clementissimo, è Pomeraniâ in hanc Provinciam grati-
ose evocatus, & Ecclesiarum suarum Meklenburgensium & Ratze-
burgicarum Superintendentens constitutus fuit, Cui Vocationi le-
gitimæ, neglectis aliis, quæ circa idem ferè tempus oblate
fuerant ex Universitate Regiomontanâ, Francofurtensi, Urbe-
que Sedinô conditionibus ceteroquin non aspernandis,
internum Numinis ductum sentiens paruit, in novo hoc
Ecclesiastico munere, eo omnem operam ac industriam, viresque
animi in imbecillo ceteroquin corpore egregias impendens,
ut Regnum Christi ædificaret, & conservaret, tuereturq; decentem
in Ecclesiâ ordinem, qvô violatò vilescit Sacri Ministerii autoritas, &
irrepentibus passim scandalis omnia ruunt ad interitum. Nec fru-
strâ hic fuit Labor ejus in Domino, qvâ de re ramen in præsens non
licet nobis esse verbosis, testantibus id abundè iis, ad qvos proximè re-
dundavit sanctioris Operæ fructus, qviq; proinde fidelissimi hujus
Eclesiæ Antistitis secessum serio lugent, infelices casus, & variarum
mutationum péricula non injustâ sollicitudine metuentes. Cœte-
rū desideratissimus hic noster KONINGIUS in hac statione, sin-
gulari Fati clementiâ, corpore sic satis valens, animo vero quam ma-
ximè contentus, maluisset utique in eâ qvicqvad vitæ refiduum
erat tranquillius exigere, nisi annuente procudubio supremo Numi-
ne, Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. CHRISTIANUS, Dux
Mecklenburgicus &c. Dominus noster clementissimus, eum volu-
isset & benignissimâ vocatione jussisset, locum, qvem vitâ beatissime
functus magni nominis Theologus DORSCHÉUS in Academia
Concilio & Consistorio, vacuum reliquerat, capessere. Qvam sta-
tus mutationem etiæ gerrimè subire voluerit, ad triennium ferè rati-
onibus

onibus non contemnendis hanc spartam modestissimè declinans, tandem tamen intellexit parendum Voluntati Principis Domini constantissimæ. Ad nos ergo ubi venit Anno superiori 1663, sc̄t̄ Junii, in numerum Professorum, Conciliū & Consiliorum solemni more receptus fuit, & in hoc novō officio partes omnes egregii Professoris absolutissimè explevit, utpote quem vix ulla corporis infirmitas, præter ultimam illam prorsus lethalem, impedire potuit, quo minus lectionibus disputatoriisque exercitiis tum publicis, rūm privatis vacaret, unde etiam factum, quod publicē *prælectiones in Genesim totam, privatim Theologiam positivam* cum summo Studiosorum fructu absolverit, (quam publici, uti omnino merebatur, deinceps juris fecit) in optimè cœptâ explicatione & disputatoriō examinæ *augustanae Confessionis*, eheu! succumbens. Habetis amicissimi, Vitam KONINGII nostri laudatissimam, actionibus ad DEI gloriam, ædificationem proximi, & salutem Ecclesiæ tendentibus abunde refertam; Nunc paucis accipite finem clausulamq; Vita beatissimam Erat Vir optimus nativâ constitutione infirmissimæ valetudinis, jam ultra decennium Calculo, Arthritidi, Scorbuto, & passionibus hypochondriacis obnoxius, quæ pessimorum morborum σύδρομην Ipsiad-huc in Gryphicâ Academia Professori minitari videbatur exitium, inde verò ubi Ratzeburgum secesserat, in Ecclesiastica istâ functione mitiores longè insultus horum affectuum sensit, ad Academicam vero vitam reversus, veluti fatō quôdam, recrudescere mala ista omnia est expertus, & id qvidem omnium maximè post Solstitium hybernum ultimum: Ab eō enim tempore vix unquam plenas recuperavit vires, quin sensim languescere & veluti emori visus est, appropinquantे tamèq; vinoctiō proximō, (uti solent plerumque morbi Chronicī circa cardinalia in primis anni tempora oriri & terminari) manifestiora sese prodiderunt instantis vita termini indicia; Quare, posthabitis quibuscumque remediorum generibus, quæ quidem mea, tum & Collegæ mei Dn.D. JOHANNIS BACKMEISTERI debita suggesserat sollicitudo, & vel alimentosa quævis spernens ac repudians, soli Deo totum se commisit, nec refici ulâ re magis apparuit, quam ubi in silentio & spe devotionem exercuit. Ità ad felicem ex hac vita secessum paratissimus, postquam sacrō salvifici corporis Christi viaticō instru-

instructus fuerat, carissimamque Conjugem cum liberis agnatisque omnibus cum singulari benedictione Deo commendaverat, egregiamque fidei in purissimâ Augustanæ confessionis doctrinâ fundata confessione repetierat, junctis admonitionibus & votis ut ab omni in Religione novitate & Syncretisticô venenô omnes abstinerent, paucissimos post dies, die nempe 15-to Septembris, toties commendata Salvatori suo animam placidissime, & velut obdormiens, expirauit. Huic quin æternum benè sit, dubitare nefas forer.

Corpori exanimi dum iusta suprema modo persolvuntur, nostrum est, Cives Academici, frequenti decentijs comitatu testatum facere, quanto amore complexi simus Virum de Ecclesia Christi & Rep. literaria meritisimum, unde simul non parum solaminis Vidua mæstissima, totiq; lugenti familia nobilissima succrescat. Valete. P.P. Sub Sigillo Re-

ctoratus Academici, Anno 1664.

die 27. Septembr.

Conventus fiet in Æde Jacobæa horâ I.







insidiis; ac persecutionibus, partim mi-
nosmet adhuc dum vivimus, quam splen-
nulli vocare solent, erepti, æternum m-
ant, aut paulò magis contenti vivant:
men quod infelicem sortem lugeamus, &
calamitosum statum serio deploremus,
rum virorum, qui scissuris imminentib-
endis suâ se dexteritate & concessâ divin-
dine opponere potuissent, consiliis ope-
tum solatii auxiliique allaturis, orbati
faustaque plurima pertimescimus, id ve-
gnum nobis, nec à pietate alienum
bonæ mentis judicare poterit.

In solo hoc nostro JOHANNE KONIG, S. S. Theol. D. & Professore Du-
rio, Consistorii Ducalis Assessore meritissi-
morum sibi commendatarum Superinte-
stenus dexterimo, cuius ultimo, cheu!
in primis dicatur scriptio, quid, quantum
rimus perpendendum modo ulterius e-
dum Ortum illius honestissimum, vita
curriculum laudatissimum, bonis omni-
dum, & exitum felicissimum beatissimi
quanto fusius, uti decet, sumus explic-
tum illum accepimus in Metropoli Electo
Anno 1619 die 16. Octobris, Patre Viro Pr.
ac Spectatissimo Dno. MARTINO König
densi & Mercatore Primario. Matre, E-
bilißimā varioque virtutum genere fu-
MARTHA Danzgeschirrin. Avum Pater
Virum Plurimum Reverendum, & tam P.
Doctrinā Eximium, Dominum JOHANN

A 3

